

ANNOTATA

minem habens, qui me capere hunc victum prohibeat. Et ne illud præterea objiceretur: At in eo te superant ceteri, quia viderunt Dominum, sic infert: Nonne Dominum Jesum conspexi, & omnium postremo, ut abortivo visus est & mihi? Quid tum, inquit aliquis, si Apostolus es, & Apostoli officio fungeris, nec dum tamen Apostoli aliquod præ te tuleris facinus? Erat namque & Judas Apostolus, & Dominum viderat. Propterea Paulus, ut hæc objicienti occurrat sic ait: Nonne opus meum vos estis? Sum itaque Apostoli ministerio functus. Et quoniam rem sane ingentem, actaverat, adjecit in Domino, hoc est, nec mea id quidem virtute; sed Domini potentia egi.

“ V. 3. Ἡ ἐμὴ ἀπολογία τοῖς ἐμὲ ἀνακρίνεσιν αὐτῆ ἐστὶ  
 “ Melius hæc putè ad sequentia quam ad præcedentia referri. Qui  
 “ sibi id arrogant, ut de meis actionibus judicent, eis respondeo,  
 “ quæ sequuntur. Doctores nonnulli Corinthiorum γνωστικοὶ illi  
 “ scilicet Paulū obtrectabant, tanquam minus intelligentem, quan-  
 “ ta esset hominis sapientis libertas. Ostendit verò Paulus, se id  
 “ rectè intelligere, & id multis argumentis docet. Sed se usum li-  
 “ bertatis circumscribere prudentiæ & dilectionis finibus.

Ad præcedentia refert Anselmus & Theophylactus quasi dicat: Qui inquirunt de mea vocatione & Apostolatu, apud eos apologia mea est, quæ in vobis extat. Sed omnino commodius hæc ad sequentia referuntur à Chrysostomo, & Ambrosio.

V. 4. Μὴ σὰν ἔχομεν ἐξουσίαν φαγεῖν καὶ πιεῖν.  
 Quæ potestatem de cibo & potu promiscuo sublato discrimine, olim in lege præcepto nonnulli, & inter hos B. Hunnius & Heshusius intelligunt: Alii ad potestatem manducandi & bibendi de sumptibus Ecclesie vel victum ab iis, apud quos docebat, exigendi restringunt, cum Cornelio à Lapide. B. Balduinus rem in medio relinquit. Sed de cibi & potus ἀδισίαφορῆα jam ante satis egerat Apostolus, & hoc capite peculiare quid denotat, nec amplius discriminis ciborum mentionem facit, materiam solùm de mediis sustentandi persequitur, illaque ratione potestatem circumducendi mulierem ingerit, quod & sibi & uxori, si vellet conjugem circumducere, prospiciendum de victu foret sumptibus eorum, quorum Doctor erat. De ipso